Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40644
Copyright: Melk, Benediktinerstift

cuius membra sumus. Et hinc est q̃ ex pacessu et actis
in hoc negocio solemniter celebratis maximum
factum est fundamentum. non tantum in mul
tiplicibus piis operibus eius beati Leopoldi. quan
tum etiam in eius celebri gloriosaq̃ fama diu
turne continuata ac perseuerante. vt sic et ad hu
iusmodi canonisationem instanter petitam suffi
cientissime suffragetur. et ad reliqua omnia ad
que hominis fama suffragari consueuit. Que di
ci consueuerunt esse tria. Primo quia ex bona
fama redditur quis idoneus ad exequendum ope
ra uirtuosa. iuxta illud ecclesiastici. xli. curam
habeas de bona fama et bono nomine. hec enim
magis permanebit quam multi thesauri magni
et preciosi. Item quia pter conseruationem bone
fame homo abstinet a peccatis. cuius signum est.
quia quando homo videt se famam perdidisse. fron
tem meretricis postmodum facit. p nihilo reputãs
peccata. iuxta illud Jero. et frons meretricis facta
est tibi. noluisti erubescere. qui etiam super mathe
um ait. corripiendus est frater seorsum. eo q̃ si se
mel pudorem vel verecundiam amiserit. non cortigat
sed remanet in peccato. Item ne et ipse et alij de or
dine sui contemnantur. sed uenerentur. iuxta au
gustinum in epistola ad populum vyponensem.
et super illud psalmiste. super me insultant qui
sedebant in porta. In maximis tn negocijs non
semper fame standum esset. que a populo vel tur
ba sumeret initium. sed tunc necessarium foret
testimonium maiorũ qui sunt sanioris consilij.
verioriq̃ iudicij. prout in casu nostro. in quo con
currit etiam fama iniciata tam a principibus
ecclesiasticis quam secularibus. vt dicit glosa
super exodum. xxiij. c. maxime quando est bona
fama non queritur fauor vel amicicia mundi in
malum proximi sed potius in bonum et in deuotio
nis augmentum. quia dilectus deo et ab hominibus
etiam diligitur. et si non per operis imitationem.

Jeroni super math 18 cap
Corripiendus est frater seorsum
si semel pudorem vel
verecundiam amisit et per
manet in peto